



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Epistola Adriani, ne quis Christianorum, indicta causa pellatur. Cap. IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII HISTORIAE

nis (sicut postulauimus) mandes ex æquitate fieri. Illud tamen non tam postulauimus, quòd ab Adriano præceptū sit, quā quod pro certo intelligimus, illud ipsum quod a nobis postulatū est, iustum æquūq; existere. Ac quò certius cognoscas, hoc nos verè commemorare, epistolæ Adriani exemplar subiūximus: Quod quidē ita se habet.

*Epistola Adriani, ne quis Christianorum, indicta causa pellatur.*

CAP. IX.

*Adriani  
epistola  
pro Christi-  
anīs.*

**M**Inutio Fundano S. Epistolam à Serennio Granniano viro præstantissimo, in cuius locum tu ipse surrogatus es, scriptam accepi. Atque mihi sanè videtur res causaq; non sine accurata inquisitione prætermitterèda: ne tum homines Christiani magnopere conturbentur, tum calumniatoribus, sceleris in eos admittèdi facultas præbeat. Quod si homines prouinciales, pro sua postulatione, quicq; verè ac manifesto afferre affirmareq; contra Christianos poterunt, quò pro tribunali, iusto iudicio conuincantur, eo se solum conuertant, eò spectent. Verum vt multitudinis solum petitionibus clamoribusq; morte mulctentur, nullo modo permitto. Imò vero multo magis par est, si quis cuiquā crimen velit intendere, vt tu de illo diligenter decernas: & si à quoquā Christiani homines in iudicium vocètur, ostendanturq; aliquid contra leges designasse, tu ita prout criminis ratio, & modus, postulat decidas statuasq;. At meherculè, si quispiam quò eos calumnetur, istud tentauerit, tu eiusmodi hominem, pro nequitia & crudelitate seuerè coarguito: atq; adeò, sedulò prospicito, vt debitas pœnas luat. Hæc de Adriani epistolæ exemplari.

*Quinam sub Antonino, Romanorum & Alexandrinorum episcopi fuerint, & de eiusdem temporum Hæresiarchis.*

CAP. X.

**P**ostquā Adrianus, vigesimo primo anno imperij sui, vitam naturæ debitam reddiderat, Antoninus cognomèto Pius Reip. Romanæ gubernacula suscipit. Delesphoro vero, primo huius imperij anno, vndecimo autem sui ministerij completo, ex hac luce migrante, Hygino Pontificatus ecclesiæ Romanæ sorte obuenit. Verum